



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt ordinati in grauioribus peccatis deprehensi, non manus impositionem vt
laici accipere debeant. lxxii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei priuata est expetenda secessio. Vbi illis satisfactio si fuerit digna, sit etiam fructuosa.

Vt ordinati in grauioribus peccatis deprehensi, non minus impositionem, vt laici accipere debeant.

Caput LXXII.

Ex cōcil. Cartha. cap. 27. **I**tem confirmatum est, vt si quando presbyteri vel diaconi in aliqua grauiore culpa conuicti fuerint, qua eos a ministerio necesse sit remoueri, nō eis manus tanquam poenitentibus vel tanquam fidelibus laicis imponatur, neq; permittendum vt rebaptizati ad clericatus graduum promoueantur.

De clericis qui corporali delicto delinquunt si restaurari possint. Cap. LXXIII.

Ex epist. S. Isidor. ad Massonem. **N**ulla est in huiuscemodi sententiis decretorum diuersitas intelligenda, quod alibi legitur in lapsu corporali restaurandum honoris gradum post poenitentiam. Alibi post huiusmodi delictum, nequaquam reparandum prioris ordinis meritum, hæc enim diuersitas hoc modo distinguitur. Illos enim ad pristinos officii gradus redire præcipit canon, quos poenitentia præcesserit satisfactio, vel digna peccatorum confessio. At contra hi qui neque a vitio corporis emendantur, ad hoc ipsum carnale delictum quod admittunt, etiam vindicare quadam superstitione temeritate nituntur, nec gradum utiq; honoris, nec gratiam communionis recipiant.

De his qui altario Dei deseruiunt, si subito stenda carnis fragilitate corruerint. Cap. LXXIII.

Ex cōcil. Euerdesi, cap. 5. **H**i qui altario Dei deseruiunt, si subito stenda carnis fragilitate corruerint, & domino respiciente dignè poenituerint, ita vt mortificato corpore, cordis contriti sacrificium Deo offerant: maneat in potestate pontificis, vel veraciter affictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiore tempore, ab Ecclesiæ corpore segregare: ita tamen, vt sic officiorum suorum loca recipiant, ne possint ad altiora officia vltius promoueri: quod si iterato velut canes ad vomitum reuersi fuerint, & velut sues in volutabris immergi iacuerint, non solum dignitate officii careant, sed etiam sanctam communionem non nisi in exitu, percipiant.